

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Positiones Philologico-Miscellaneas

Träg^oard, Elias

Gryphiae, [MDCCLXXXIII?]

VD18 13193023

[Positiones Philologico-Miscellaneas]

urn:nbn:de:gbv:45:1-15760



Pos. I.

Per נפילון, quorum mentionem facit Moſes Gen. Cap. VI, 4. homines intelliguntur, non ſolum vaſtis corporibus conſuetam corporis humani ſtaturam qui ſuperarunt, ſed etiam moribus admodum violentis uſi ſunt, ut alios minorum virium ferociter ac ſuperbe inuaſerint, rapinis atque caedibus graſſantes eoſque ſubigentes; hoc nomen a rad. נפל in Conj. *hiphil* derivatum innuit.

De hiſce Nephilim, quae vox a plerisque *Gigantes*, *Tyranni*, vertitur, multa leguntur in libro ſpurio, qui *Prophetia Enochi* inſcribitur. Quamplurima quoque de illis fabulantur Rabbini: Quod ſcilicet hybridae fuerint ex angelis et mulieribus, quae loco cit: *filiae hominum* a S. Scriptore vocantur. Quin et plerique Patrum, ſeu Doctorum primae eccleſiae Chriſtianae hoc Moſis dictum eodem modo intellectum voluerunt, eamque doctrinam procul dubio acceperant a Iudaeis et Philoſophis Platonicis, qui angelos corpora habere exiſtimarunt; Quamvis vero iſta horum opinio ſua non deſtitueretur veritate, inde tamen non ſeqveretur, ut talis commixtio unquam
A extiterit,

5
exstiterit, vel existere possit. Alias hoc loco notare convenit, maximam inter nomen hebraeum נפיליִם et Gothicum Niphelheim, *gigantum domicilium*, intercedere similitudinem, quod observat ER. IULBIÖRNER (a). Ut adeo vix sit dubitandum, quin nomen illud Gothicum ab hebraeo sit derivatum; unde etiam concludere licet, traditionem de Tyrannis his antediluvianis a primis gentium statioribus ad hyperboreos nostros fuisse propagatam. At vere nova et satis paradoxa est opinio IOH. CASIM. MIEGII (b) in libro הלכות עכרים i. e. *Constitutiones servorum*, statuentis, hos Nephilaeos Mosaicos omnium primo servitutem NB. apud Iudaeos introduxisse.

Pos. II.

Quarta Aegyptiorum plaga ערב Exod. VIII, 21. al. 17. fuit multitudo varii generis insectorum, quae hominibus et brutis maximam crearunt molestiam; quin et vegetabilibus noxam intulerunt.

Ab Interpretibus latinis ערב redditur *colluvies*, Germani per Unzlesser explicant, ut et SVECUS *Shyva*; quae voces significatus adeo sunt generalis, ut speciatim, quid per ערב innuatur difficulter definiri possit. Interpres Chaldaeus hic utitur voce cum vocabulo hebraeo cognato ערוב, cum qua coincidit SYRI רכל גנס ערוב *mixtura omnis generis*. LXX specialius quid fuerit dicere volentes vertunt per *Κυνόμοσας muscam caninam*. At rem illos rite tetigisse tanto minus credere licet, cum istud animalculum in nostris terris ignotum canes tantummodo, ut nomen indicat, infestare soleat, in versu autem nostro Deus minatur, ערב venturum super Pharaonem, ministros et populum ejus, ut Aegyptiorum domus

(a) in specim. hist. Geogr. de Gotunheimia, s. terra gigantum. ed Holmiae 1741.

(b) Hamb. Berichte von gelehrten Sachen p. An. 1734. p. 483.



mus illo impleantur. Et praeterea, ut in praecedentibus v. 17. de pediculis dicitur, illos fuisse super homines et armenta aliaque animalia, et ipsum pulverem terrae pediculos fuisse, ita etiam, hic DEus minatur, colluviem hanc super homines, omnia animalia et ipsum campum venturam. Scilicet plaga tertia, quae pediculis constabat, ejusmodi erat, ut tantum homines et bruta per eam vexarentur, fruges vero et omnis generis vegetabilia ab istis bestiis illaesa manere potuerint. Iam vero cum induratus Pharaon hicce ad populum dimittendum non commoveretur, simul cum pediculis ejusmodi insecta immissa sunt, quae etiam vegetabilia et res inanimatas perderent. Haec non unius, sed plurium generum fuerunt, quorum unaquaeque species, escam a natura sibi destinata avidè quaerens, omnia devoravit et perdidit. Et sic tertia plaga, ut dicitur pediculorum, aucta fuit mixtura omnis generis insectorum, ut vere vocari possit ערב *colluvies*. Notandum namque, quantum ex textu videre licet, pediculos non fuisse remotos, antequam ערב veniret, cum alias in praecedentibus observamus, ranas depulsas antequam pediculi venirent, ut et ex sequenti narratione concludere licet, aliquantum temporis intercessisse inter pestem armenti, ovium etc. et plagam per ulcera; item inter haec et grandinem, et sic porro. Nihil igitur obstat, quominus pediculos, qui prius grassabantur, etiam רוב ערב adnumerandos esse censeamus; prout R. David Kimchi in libr. *Schorasch* ait, hanc vocem significare *Animalia collecta ex multis speciebus*. Nec non R. Salom. exponit *per omnes species malarum bestiarum, serpentum et scorpionum inter se permistarum*; quod quidem non magnopere negandum, quatenus per bestias intelligit varia insecta, vermes, serpentes, muscas et quomodocunque vocentur. Haud autem probabilis est explicatio R. Aben Esrae, qui dicit, ערב notare *malas bestias inter se permistas, ut leones, ursos et pantheras*. (c) Etenim talium hospitum, si pleni fuissent non modo campi, sed etiam aedes Phara-

A 2

(c) vid. Crit. Angl. ad h. l.

Pharao-



Pharaonis et domicilia subditorum ejus, reliquis mox venturis plagis non multos futuros fuisse reservatos per se patet.

Pof. III.

SALVIM, qui per ventum a mari in castra Israelitarum venisse memorantur Exod. XVI, 13. Num. XI, 31. Pf. CV, 40, quondam anatum fuisse speciem probabile est.

Per vocem hebr. שׁלִימ, quam vertit B. LUTHERUS *Bachteln*, *coturnices*, intelligi vult Ludolphus in *Comment. ad Histor. Habess.* cicadas, Bochartus aves hic indicari contendit, vid. GUSSETIUM. (d) At nec avem quondam plumatam nec locustas, sed potius piscis quoddam genus fuisse probare vult Cel. Pr. RUDBECK fil. (e) Majori tamen, ut credo probabilitate se commendat effatum Bocharti, aves hic indicari. Et siquidem e mari advolantes accefferunt, speciatim aqvaticas aves fuisse, ut anseres vel anates, credere par est. Etenim I^o verba in cit. Cap. praecedentia satis clare monstrant, populum contra Mosen murmurantem, non pisces sed carnes, quibus in Aegypto vesci consueverant, desiderasse. II^o Quantum ex itinerariis notum, pisces volantes ad mare rubrum, ubi tunc Israelitae versabantur, non inveniuntur. De locustis autem si cogitamus, quamvis nec illud cibi genus aspernarentur nationes orientales, qualis illas edendi appetitus hominum, qui carniū esu delectabantur? Et denique v. 8. et 12. mane panem, vespere carnes illis datas fore, disertis verbis Deus promittit.

Pof. IV.

Qui a Simsone capti dicuntur שׁועלים Iud. XV, 4. ut illorum ope segetem Philistaeorum combureret, nec fuerunt fasciculi culminis, nec faces ardentes, nec vulpes, sed animalium quoddam genus nostris vulpibus non dissimile.

Non

(d) Comment. in ling. hebr. ad h. voc.
(e) in Ichtyolog. Bibl. P. I. ad Lips. 1705.



Non est, quod objiciat quisquam, insuperabilem tantam istorum animalium multitudinem capiendi difficultatem, cum eorum maxima fuerit in Palestina abundantia, nec opus est credamus, ipsum Simsonem dictas bestias venatum esse atque cepisse. Dum enim reputamus, illum totius nationis ducem fuisse, qui e subditis sibi militibus, tricentis tantum viris, unicuique unicum modo ejusmodi animal comparare imperasset, brevi temporis spatio dictus numerus completus fuisset. *Nihil, inquit GUSSELIUS, (f) in scripturis de illo animali comparat dictum, quod vulpi non conveniat.* Attamen vitibus damnum inferre hi **וּלְפִי** dicuntur Cant. II, 15. In hoc igitur a nostris vulpibus differunt, quod vegetabilibus vescuntur; at eosdem etjam cadaveribus delectari patet ex Pf. LXIII, 11. Monstrat quoque laudatus auctor ex Bocharto, dari vulpium quoddam genus, quod et carnivorum et fructivorum est. Allegat hanc in rem historiam Americae borealis a DENIS scriptam. Uberius hunc locum Cel. Eqves et Conf. Aul. MICHAELIS (g). Sequentibus illustrat. Schachal ist ein in jenen Gegenden sehr häufiges Thier, welches mit Hunden, Füchsen und Wölfen zu einerley größern Geschlecht gehöret; es hat mit diesen drey Gattungen, sonderlich mit den Füchsen viel ähnliches, und wird deßhalb bey den Hebräern mit eben dem Nahmen benennt; ist aber doch ein Thier seiner eigenen Art. Es ist nicht so beißig und gefährlich als der Fuchs, und gehet bey hunderten beisammen. Hiemit fällt der ganze Zweifel weg, den man so unnützerweise gemacht, und oft eben so schlecht als er gemacht war, gelöst hat, wie Simson dreyhundert Füchse habe fangen können &c. Nihilo tamen minus, cum adeo hoc animal nostris vulpibus sit simile, satis commode in nostris versionibus Bibliorum Europaeis per vulpes, Füchse, räswar &c. reddi potest ac debet; Alias namque vox peregrina, cui nulla in mente lectoris responderet notio, in versionem ingereretur eamque mancam faceret. Aliter comparatum est, si in regionem quandam res peregrina illata fuerit,

A 3

(f) lib. I. cit. ad h. l. (g) Anmerk. zum Buch der Richter. Cap. 15, 4



fuerit, tunc enim una cum re peregrinum rei nomen, si aptius inveniri nequeat, civitate vernaculae est donandum, qualia exempla plurimis nostris in lingvis frequentia observantur.

Pos. V.

In quibusvis scriptis, inprimis Theologicis et Philosophicis, transferendis, ut translator, qua fieri unquam poterit, accuratatione textum originale sequatur necessarium est; etenim saepe, si vel minimum a verbis recedit, facillime etiam a sensu auctoris aberrat.

Hoc tamen per se patet non ita me intellectum velle, ut lingvae, in quam transfertur, vis inferatur; id quod fieret, si idiotismi alterius lingvae huic immiscerentur. Ex gr. si haebraeum בן שלשים שנה verteres *filius triginta annorum pro triginta annos natus*, et similes. Circa locutiones proverbiales idem est cavendum; Hae nequaquam ad verbum sunt vertendae, nisi eadem proverbia in utraque lingva usitata fuerint: v. g. Latinorum: *Exitus acta probabit*, Sveth. recte exprimitur: *Utgången skall visa det. Consuetudo est altera natura, wanan är andra naturen et ejusmodi plura.* Talia vero si non inveniuntur, proverbia peregrina cum aequivalentibus in altera lingva dici solitis sunt permutanda. Sic quod Latini dicunt: *incidit in Scyllam cupiens vitare caribdin*, de eo, qui evitare volens malum, incidit in pejus, Svethice: *Han flydde undan björnen och mötte lejonet*, vel simili quodam exprimeretur. Hanc de proverbii transferendis regulam; nec Scriptores Sacros neglexisse videmus; Sic Iohannes Baptista lingva Judaeis tum vernacula Syriaca, vel diadecto proxime ad hanc accedente locutus sine dubio dixit: *Cujus calceos non dignus sum portare*, quem haebraeum loquendi morem retinuit Matthaeus Cap. III, 11. *εκει ειμι ικανος τα υποδηματα βασαι*, reliqui Evangelistae: Marcus Cap. I, 7. Lucas Cap. III, 16. et Iohannes Cap. I, 27. exprimunt: *Ικανος vel αξιος λυσαι τον ιμαντα τε υποδηματος*, prout circa officium hoc servile Dominis praestandum, unde proverbium,

qvo

volens ac sciens a veritate discedit, sed etiam in aliqua dignitate si constitutus fuerit, vel magna eruditionis et sapientiae fama inclaruerit, falsas opiniones, rarissime generi humano non noxias, corroborat atque promovet, id quod maxime illicitum in bonum virum cadere non debet. Prior loquendi modus hominibus plebejis pariter ac optimatibus, illitteratis et vel maxime eruditis non licitus modo, sed saepissime etiam plane est necessarius; quin et, nec ipsum DEum dedecere, videmus. Ab hoc loquendi more differt *ad captum vulgi loqui*, quae locutiones semper verae sunt, quamvis non sensu proprio, sed translato verba adhibeantur, ad ideas rerum, quae captum humanum, vel saltem rudiorum superant, mentibus quodammodo imprimendas. Hujus etiam exempla in scriptis Sacris passim obvenire nemo ignorat.

Pos. VII.

Loca nonnulla Vet. Testamenti tempore Maccabaeorum composita, et postea in libros Vet. Test. sacros illata fuisse falsissimum pronuntiari debet.

Hoc effatum Hobbessii, Spinozae et Doctorum ejusmodi plurium, meris nititur suspicionibus et ineptis conjecturis, nullo unquam argumento historico, quae verisimiles reddi, multo minus probari possunt. In contrariam partem sufficiens est testimonium FL. IOSEPHI ^(h), cui quippe natione Iudaeo, officio sacerdoti et scriptorum Sacrorum perito, prae omnibus aliis habenda est fides. Aseverat ille, gentem hebraeam tantam libris suis sacris habuisse semper reverentiam, ut per tot saeculorum decursum illis quidquam detrahere; addere, vel ullo modo mutare, nemo unquam ausus fuerit; sed unumquemque Iudaeum potius vel centies mortem subire velle, quam id faceret, vel fieri permetteret. Praeterea hic vir non adeo longe post Maccabaeorum tempora vixit, historiae gen-

(h) L. II. contra Apion.

tis suae peritissimus, ut an tale quid factum esset, probe sibi cognitum habere potuisset.

Pos. VIII.

Litteras in vexillis Iudaeorum quae conspiciebantur מַכַּבֵּי, tesserae illorum militaris initiales nomini MACCABEO originem dedisse verisimile est.

Occasionem hujus appellationis D. Glassius (i), hisce narrat: *Cum enim Iudas Antiochum oppugnaturus ab angelo mone- retur, ut viriliter ageret Deoque consideret, dedisse belli commilitoni- bus, fertur verba Exod. XV, II. מִי כַמְכָה כְּאַלֵּים יְהוָה* i. e. quis sicut Tu inter Deos DOMINE: vexillis suis hoc modo מַכַּבֵּי, scripta, loco militaris tesserae, in quo signo cum vulgus militum victoriae feliciter partae vim superstitiose collacaret, nec tamen mysticae hujus scripturae rationes intelligeret, inseruit pronuntiationis causa hisce consonantibus vocales, et legit MACCABI vel MACCABAI. At, ut mihi quidem videtur, etiam vulgo militum Iudae igno- tum haud esse potuit, quid dictae litterae significarent, quippe quibus verba ista, ut tessera militaris data erant; unde magis habendum verisimile, hostes Graecos vocales adjecisse, et totum exercitum hoc nomine vocasse. Ab arabismo recen- tiorum nonnemo nomen illud deducit, in quo radix כַּכּ no- tat *exercitum ducere*; hinc vox participialis מַכַּכּ, ubi ad regu- las linguae hebraeae littera כ abjicitur et compensatur per Dag. forte, adeoque fit MACCABAI. Et sic IUDAS MACCABAEUS idem dicit ac *Dux Iudas*. Iure autem quaeri potest, cur Graeci hostes e voce Arabica titulum Iudae formarent; Nec apparet ratio, cur aut Graeci, aut ipsi Iudaei totum exercitum *Dux Iudas* vocarent, quae satis inepta fuisset denominatio. Cum tamen creditu est facile; hisce (Iudaeis) tunc temporis, ut postea, morem fuisse, abbreviate scriptarum vocum litte- ras

(i) Phil. S. L. II, P. I, T. II. Sect. III. p. 431.



